

**Dissertatio inauguralis medica de minore malo medico ... / publicae
eruditorum disquisitioni exponit Gottofredus Güntherus Schneider.**

Contributors

Schneider, Gottfried Günther.
Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeb : Litteris Christ. Henckelii, [1710]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/edyupunr>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
**MINORE MALO
MEDICO,**

Quam
BONO CUM DEO,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, DUCATUS MAGDEBUR-
GICI GUBERNATORE, CETERA,
IN ILLUSTRIS FRIDERICIANA,
GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ INDULTU,
PRÆSIDE

DN. GEORGIO ERNESTO STAHL,
MED. D. EJUSD. ET RER. NATUR. PROFESS. PUBL. ORDIN.
ACAD. NAT. CUR. COLLEG. LONG. DIGN. FACULT. MEDIC. p. t.
DECANO GRAVISSIMO,

DN. PATRONO, PRÆCEPTORE, AC PROMOTORE SUO
omni honoris cultu prosequendo,

PRO GRADU DOCTORALI

Summisque in ARTE SALUTARI, Honoribus, Juribus & Pri-
vilegiis rite capeffendis,
D. Maji MDCCX.

Publicæ Eruditorum disquisitioni exponit

GOTTOFREDUS GÜNTHERUS SCHNEIDER,
Sondershufa-Swartzburgicus.

Hale Magdeb. Litteris Christ. Henckelii, Acad. Typogr.

**DEO
PROXIMO
ET
AMICIS.**



PROOEMIUM.



Uamvis ita dicta Philo-
sophia, quæ pervarias sui partes in
scholis docetur, ejusmodi sit nego-
tium, cujus sanus atque sobrius usus,
altioribus, quas vocant, Facultati-
bus, tantum subsidii præstare possit,
imò debeat, ut sine illa, non solum

difficillima sit discendi atque comprehendendi, quæcun-
que Methodus; Infirma verò ac incerta, omnis ita ac-
quisita Scientia: sed etiam, si quid contra illam, & veris
ejus regulis oppositum, supponatur aut suscipiatur, certò
vanum atque falsum illud judicandum sit: adeoque hinc
egregia dignitas sanæ Philosophiæ facile colligi & agno-
sci possit: Est tamen omninò necessarium, ut illa, si
hanc laudem verè ita promereri atque tueri speret, ipsa
quoque talis sit, qualem modò, unò quidem, sed certè
magni ponderis, vocabulò, indicavimus, & eò nomine
proprie laudavimus; nempe Vera. Ad hanc autem ve-
ritatem, necesse est ante omnia, ut habeat Subjectum &
Objectum sui, non fictum, aut ad minimum meris po-
tentiis, nunquàm in verum atque firmum factum dedu-
cendis, superstructum: Sed potius ita in rei veritate

constanter fundatum atque elucescens, ut etiam illi superstruendæ collectiones, verè habeant, cui constanter innitantur. Secùs enim formata atque usurpata Philosophica argumenta, aut qualiacunque conamina, minimè utique aliirei inserviunt, nisi odiosis illis opprobriis, quæ deinde ab imperitis, etiam universæ Philosophiæ ingeruntur atque tribuuntur, quod phantasmatibus potius, quàm veris atque solidis contemplationibus innitatur, invigilet, imò utilis ad easdem sit. Sicut autem ab hac infamia, Philosophiam omnibus modis atque locis liberare, nec ullam iis occasionem præbere, æquissimum certe & justissimum est; ita convenit etiam utique, evitare omnes occasiones ad similes offensiones. Cum autem ingenuum indicium, ubi lapides tales offensionis, & Scopuli, aliquandò velut occulti, latent, non post eum præstare possit emolumentum, ad securiùs dirigendum cursum: dabimus præsentè loco talis periculi specimen: quod quidem tantò magis utile, imò necessarium ducimus, cum certè multiplex experientia, indies confirmet, quod admodum familiare atque usitatum sit, adversus hoc saxum impingere. Est autem hoc inanis atque prorsus alienus a vera rerum indole, conceptus, de *Rationalitate*, seu *Rationis humanæ* vero statu, seu actu: constante nempe, & perpetuo. Ubi quidem conceptus de ratione, seu rationalitate, quatenus *quæ irrationali* opponitur, debet utique secundum excellentiam sui, & velut in gradu summo, pleno, & illibato, profigurari: Cum autem opportunè Philosophia recordetur atque agnoscat, quod magis & minus non varient speciem; memori certe prorsus mente ubilibet tenere atque comprehendere convenit hujus axiomatis usum & applicationem,

nem, imprimis circa negotium Rationis, & constantis ejus, non solum usus, verum etiam effectus, qui præcipuus omninò est, Voluntatis justa atque firma formatio. Circa hanc rem, ne ita crassis modis atque moribus, uti vulgò solet, & quotidianus fert usus, oberretur, nunquam e memori mente excidere debet, debilitas illa humanæ rationis, tanta certè, tam varia, tam quotidiana, tam perpetua, ut nunquam, ad finem usque vitæ, plena illa atque constans ejus emendatio sperari possit: Sed potius ferè longè maxima pars mortalium, multum contra rationem, plenè veram; plurimum citrà benè ponderantem rationem: omnia sine constante, atque inconcussa & solida, ratione, agat. Quò certè intuitu, nihil, nisi specimen harum ipsarum aberrationum, esse potuerit, ab ita constituta indole, Rationis humanæ, severè, imò imperiosè, exigere, quicquid a vera ejus plenitudine atque absoluta potestate, expectandum veniret. Multò autem consultius, imò consilio ex ipsa re depromendo, aptius est, res prout sunt atque jacent, in considerationem & usum vocare, & juxta Poëtam, levius facere patientiâ, quidquid corrigere est nefas. Quod quidem in moralibus rebus adeò sæpe necessarium est, ut meritò ante oculos haberi debeat illud, in Tragœdia quidem a perditæ audaciæ Tyranno, Atreo, tanquam minaci edicto promulgatum, interim in tota Tragœdia vitæ civilis, jam propemodum pro suavi regula habendum: *Tacere multis discitur vitæ malis*: Interim in corporalibus etiam negotiis, & quod notandum, humani maxime corporis administratione, ita sæpe, & eximium, locum habet, ut omninò etiam in illa, satis multis casibus, prævariis aliis consiliis verè expediat, ad minores quasdam ataxi-

as atque aberrationes, ad minimum tantisper, connivere, atque maximam considerantiam adhibere, an illæ ad veram, sanæ rationi conformem quasi stateram, exigere, cum sanæ rationis, delanguente atque valetudinaria ratione, judiciis, convenire possit: an potius, numerosis exemplis, metuendum veniat illud Comici: *Bacche bachanti si velis adversarier, ex in sana insanio rem feceris.* Cùm autem hæc res, circa Vitalem Oeconomiam omnino etiam aliquod nobis exemplum offerat, e quo saniori omnino rationi, non parum boni consilii veluti suppeditari aut subnasci possit, neque propemodum usquam, pro dignitate certè nusquam, pertractata occurrat, placuit, pro SPECIMINE INAUGURALI, hanc ipsam assumere, atque de MINORE MALO MEDICO, contemplationes nostras publicæ disquisitioni subicere.

Rogamus autem DEUM Ter Optimum Maximum, ut quid etiam hac in parte, tolerabiliorum malorum, non quidem indulgenter, sed tamen patienter, ferendorum, verè sanæ rationi, quæ Ejus voluntatem pro regula agnoscit, verè consentaneum sit, recte perspiciamus atque decernamus: Donec infinita Ipsius misericordia, tandem clementissimè nos liberet ab omni malo!

Th. I.

Nominum ratio cum utique reddi mereatur, uti vel *insolita* quædam appellatio in medium producitur, vel aliquid *ambiguum* sub illo nomine intelligi posset; quamvis equidem in illa re, quam nobis enucleandam proposuimus, nulla tanta difficultas subesse videatur, tamen non derimus, tanquam ex abundanti, huic etiam officio. Intelligimus itaque per *Minus malum*, nihil aliud, nisi illud ipsum, quod

quod in proverbio etiam laudatur, è *duobus malis, minimum esse eligendum*. Quod ipsum, uti nemo ad illam *equivocationem* retulerit, ut è duobus *pomis* minus eligendum putet; ita etiam à nobis notata *Mala Medica*, non sunt genus illud *pomi*, seu potius *amygdalæ*, quod è *Media* in Europam translatum, tam lætos progressus fecisse, etiam olim *Plinius* mirabatur: cum cujus neque *maiore*, neque *minore*, neque transplanta-
tâ illa *Media*, Specie, nobis hodie occupari, neque libet, ne-
que licet.

II.

Curiosiore[m] autem, & quidem non otiosam, sed certè ad-
solertiam, imò peritiam Medicam, pertinentem, discussio-
nem præstolatur adjunctum illud, quod huic *malo* addidimus,
dum illud *Medicum* appellamus. Hujus certè nominis ratio,
non ita planè nudo *joco*, sed certè aliquantò magis *seriâ* (&
optandum est, ne propemodum *dolenda*) ratione, referri po-
test, ad exquisitum illum *jocum Comicum*: *si ante lucem ire*
occipias, à - - - nomine, concubium sit noctis, priusquam
ad - - - pervenias. Imò ait: à *primo* nomine, - - ad
postremum. Videbimus, quàm appositè hoc dicterium, ad
nostram rem utique *seriam*, quadret. Duo certè sunt no-
mina, *malum medicum*; & *minus malum medicum*. Imò,
quod plus est, si verum illorum significatum spectes, quem ex
indole rei habent, *contrariam* etiam planè rationem, pro po-
tiori sui parte, involvunt. *Primò* enim, à tota propemo-
dum Schola medica, tantò magis autem inferioribus ejus clas-
sibus, adhuc in bello grammaticali, seu pure *theoretico*, occu-
patis, declarantur hæc *mala*, sine tropo, pro veris rebus *præ-*
ter naturam. Imò *medicis*; siquidem, qui etiam aliàs argu-
mentationes non admodum amant, tamen hic prompti ferè
sunt, *categorico* illo: quicquid *præter naturam* se habet, illud
est *subjectum Medicine*, A. E. &c. Neque certè fallerentur,
si hoc objectum prius exquisitè per suas classes deducerent;
Theoriâ, inquam, *maturâ*, rectissimè evolverent, priùs, quàm
idem mox ad *practicam* officinam rejicerent. Sed cum, jam
pro-

propemodum etiam plebi non satis amplius dissimulanda, illa *mala* conspiratio atque consensio *Theoriæ* cum *Praxi*, mores suos, seu, quam vocant, *observantiam*, minimè mutat, manet proinde firmum & decretum, quicquid ita, ab *exquisite sanitatis* statera declinat, sit *Malum*; imò *Malum Medicum*.

III.

Enimverò absit, ut nos illi mancipemus invidiæ, (quamvis propemodum fera est protestatio,) ut tanto consensui contradicere, in nos suscipiamus. Certè accedimus Hippocratis modestiæ, qui cum pluribus locis κακὸν, σφαλερὸν, inclamat, unò etiam atque alterò ἔκ ἀγαθὸν, nominat. Equidem nemo quisquam est, quantumlibet etiam tanquam solidè, sive uti trivialis formula habet, *purorum putorum Theoreticorum*, quin etiam lubens consentiat, quod in illis, in *statera* examinatis *malis medicis*, unum altero sit *deterius*. Interim, cum in illo utique magna sub sit differentia, quid *directè* pro *malo* non habendum solùm, sed etiam *tractandum* sit; & quâ ratione tale, secundùm debitam suam *proportionem nocendi*, seu *malitiam* suam exercendi, oppugnari & expugnari debeat: Optandum hinc certè passim esset, ne agnitiones tales *minoris* gradus *malitiæ*, propemodum dixissem *temerè*, certè præter rem, seponerentur, in *Theoriâ* nempe *consultatione* formanda, de *maiore* aut *minore necessitate*, *festinatione*, imò, *minora* talia mala, magno aliquo *impetu*, expugnandi.

IV.

Unde utique nostra acceptio vocis, *minoris, Mali*, duobus, non levidensibus, modis, differt etiam ab hoc qualicunque sensu Speculatorum. *Primò* enim, omninò certe ad *praxin*, & *Praxi* conformem *Theoriam*, ita dicimus *Minus malum Medicum*, ut eo ipso monitum velimus *Medicum*, ne, idem pro *maiore* intrepetando, incumbere sibi putet, *festinatum*, *fortem*, imò *violentam*, talis mali expugnationem. Ut pote è qua, nihil certius, nisi longè & *plurimum* & *graviorum*, & reverà *majorum*, *malorum*, seges pullulat. Imò, *secundò* meminimus hic certè, ingeniosi illius Poëtici, apud Svetonium: *Est bene, non potuit dicere; dixit, erit*. Adeò, ut etiam

re-

reverà, (prout sunt res *œconomiae* corporis, & quidem prae omnibus animalibus, *humanae*, ad numerosa mala regimina praecipitis; tanto magis autem adhuc individuorum, ad varias ataxias *intentionis* atque *directionis*, non modò pronorum, sed rebelli contumacia *obstinatorum*;) Multis casibus praestet, *minori malo* connivere, quàm hoc ipsum, non tam tollendo, quàm solùm *turbando*, aut *reprimendo*, *pejoribus* successibus, non tam praeferre facem, quàm subicere.

V.

Unde quidem, ne impleamus illud Comicum, & de nomine loquendo, diem nocti jungamus, proferemus potius simplici oratione nostram sententiam, dicendo, quod per *Minus Malum Medicum*, intelligamus ejusmodi genera, à solidà integritate sanitatis deflectentium constitutionum, effectuum, imò Affectuum, qui quidem pro reliqua ad *Theoreticam* stateram exigenda *angelica*, simpliciter & absolutè bona atque laudabilia, non sunt: Interim neque *per se* & *sibi relicta*, etiam *insignium* malorum rationem habent; & quidem *Medico-artificialem* expugnationem efflagitantium: Sed etiam illam adhuc ad incrementa sui, & formanda, aut post se trahenda, *majora* mala, dispositionem involvunt, ut non solùm aliàs, sed quàm maximè ex usitatis moribus trivialis *Praxeos*, etiam certam *ruinam in deterius* minentur, imò eidem immineant.

VI.

Speramus autem neminem prudentem, adeoque moderatum, Lectorem, fore, quin benignè interpretetur, nedum agnoscat, nostram etiam, quod quidem praefiscini dictum volumus, temperantiam, quam in titulo Dissertationis nostrae, cordi habuimus. Non enim totam exsecuti sumus *apophthegmatis* illius sententiam, quod è *duobus* malis, minus sit *eligendum*. Sed fatis habuimus, primo loco solum loqui, de ipsà verà diversitate horum malorum; & Secundò, de eorundem etiam respectu *medico*. Nempe, ut meminerit etiam Medicus, esse utique *minori malo*, *minori* impetu cohibendi opus.

Licet nequaquam minore *judicio*, quid, vel è planè *negligenti* ejus tolerantia, vel *importuna* oppressione, expectandum veniat. Interim utique illud in animo habemus, ut in pertractatione nostra, etiam pro virili nostram sententiam proferamus, quid de vera *electione* talium *minorum*, quàm *talium*, malorum, partim necessarium, partim ita consultum, agnoscamus atque reputemus, ut omnibus modis præjudicium oppositæ sententiæ, quæ nudis *necessitatibus directè & simpliciter expugnandi* calculum adjicit, habeat, quod tranquillioribus *penstationibus* rectè expendat.

VII.

Illud tamen etiam simul quasi, dissimulare non possumus, quod nostræ hujus considerationis atque comparationis *mala minora*, etiam ita altiore *socium* nexum, sive, ut in scholis loqvuntur, *relationem*, habeant ad *majora*, ut certior quidem ab *illis ad hæc* progressus ita impendeat, ut non solum *minora* illa familiariter *præcurrant* quasi antè *majora*: sed & quod plus est, *majora* illa minoribus ejusmodi, ut in eodem ordine, ita familiariter, imò potius certò, *succedant*, ut nisi quidem optio detur, vulgatiore certe sensu, optare, tamen deceret, ut *successio* hæc, quamdiu usquam possibile, *differri*, imò potius in solidum *aufferri* atque evitari possit.

VIII.

Quæ ipsa res, sicut ita ut in Thesi, nemini certè displicebit aut negligenda, nedum improbanda, videbitur; ita tantò magis sine dubio ad animum revocabitur, si à vera *practica* peritia Spes subministrari possit, quod utique huic voto etiam locus esse possit: quod, inquam, rectissimè observatis & administratis omnibus circumstantiis hæc ipsa *præventio* locum etiam inveniat, ut *successio majorum*, talium malorum per providam administrationem minorum ita declinari possit, ut etiam *electio* ejusmodi *minoris* mali præ *maiore* in eodem genere, sæpè optabilem locum inveniat, adeoque tantò magis vera agnitio atque discretio *minoris* ejusmodi mali, ab ulteriore *maiore*, etiam verum eximium *usum* sceneretur.

IX. Quis-

Quisquis autem ad sobrietatem sapit, non poterit ignorare, aut animi pendere, quod præcipua consideratio hæc recidat in dignotionem *συζυγίας* ejusmodi, circa idem subiectum, aut objectum versantium, *minorum* vel *maiorum*, malorum: Proximè verò circa Spem magis aut minus fidam, de evitanda necessitate *incrementi*, & obtinenda potius *parvitate*, seu *minore mole* mali. Pro qua verò dubitatione eximenda, uti è vulgatissima *Pathologica historia*, nihil usquam subsidii apparebit; & minimum etiam omnium, è propiorum temporum opinionibus: ita tantò magis utique necessarium tamen erit, dispicere, ubi hujus dubitationis solutionem reperire licuerit. Quam cum nobis, tanquam *obiectum* quadantenus Thematis nostri, incumbere sentiamus, minimè quidem negligemus idoneis locis diligentius indicare: poterimus tamen sine dubio non leve hujus etiam laboris compendium facere, si partim ad ea provocemus, quæ jam latius in hanc rem dicta sunt, ante omnia Dissert: *de Fundamentis Morbor. ætatum*, tum etiam *de Infrequentia morborum*, & parallelis quibusdam tractationibus: partim tamen, quanta fieri poterit brevitate, eadem etiam hõc locò breviter recenseamus. Quod quidem ante omnia convenientissimum erit primò tanquam *historie* modo agere: Deinde verò etiam, post succinctam contemplationem *nexus causalis*, ad usum ipsum *Therapeuticum*, non magis transferre, quàm referre.

X.

Ubi tamen illi labori, renuente inprimis etiam Temporis opportunitate, nos non mancipamus, ut etiam *quorumlibet*, per *externas*, quasi violentas, occasiones, *incidentium* malorum, censum agere nostrarum partium ducamus: sed in eo potius acquiescamus, ut illorum affectuum & effectuum, quibus œconomia corporis humani, velut è *domesticis* suis dispositionibus & occasionibus, quàm maximè exposita est, rationem habeamus. E quibus nempè tantò facilius deinde erit, etiam illorum casuum, qui ab *externis* occasionibus ortus suos capeffunt, *analogam* rationem colligere & intelligere.

XI.

Primò itaque locò, placet mentionem facere illorum *minorum malorum*, quæ ad ipso *habitu corporis cum humoribus*, quem vulgo *Temperamentum* vocant, partim *corpori* incumbunt, partim etiam ipsi *animo*, & per hoc denuò & *reciproce* corpori, negotium faceffunt. Quæ ipsa, cum haud injuria reputari possint, extra *medicam Sphæram* constituta esse, & nihil *eximii artificialis* auxilii admittere: habet tamen hoc ipso contemplatio horum, adminimum illum locum, ut vel hinc memori mente teneatur, *consultius abstineri* ab irritis *consiliis*, & ambiguis *auxiliis*, contra *exigua* talia *male* tentandis: ne non solum nihil sperati auxilii impetretur, sed vel planè, alienis effectibus, aliquid *majoris*, certè *novi*, adeoque *pluris*, *mali*, introducatur.

XII.

Sunt autem hujusmodi *parva* adhuc, & magis solum *respectiva*, *mala*, in *phlegmatico* habitu, color *pallidus*, facilis respirationis atque virium seu alacritatis, *oneratio*, & in *lassitudinem* conversio, à motu laboriosiore, ad æquandos, jam *cholericos* dictos, jam *Melancholicos*, vel suscepto, vel imperato: in *animo* talium, *somnolentiæ* atque *segnitiei*, inprimis autem *tardioris memoriæ*, potius opus, quàm simplex onus. In *Cholericis*, & *Melancholicis* habitu, strictioris seu *macilentioris* texturæ circumstantiæ; quæ uti frustra tentatur ad habitioem statum reducenda; ita periculosè, pro *phthysicâ* aut *hecticâ* tabidâ, alibi dispositione, alibi constitutione, reputatur, aut tractatur. Adeò, ut talia, sibi relicta, certò *minora* futura mala, prudenter pro talibus æstimanda veniant; ne *majora*, non tam solum invitentur, quàm potiùs introducantur. Ubi quidem etiam inprimis in illa corporis & morum *tarditate*, caveri omninò meretur, ne *ætas* adolescens *majoris* quàm præstò est *mali*, ita impatientem opinionem faciat, ut propterea tali quoquo modo occurrere aut mederi, & *ingenium* atque *memoriam pharmaciis* procurare in mentem veniat. Utpote è quorum consilio atque coëptorum occasione, facilius tam in

in corpus quam *animum* ejusmodi constitutionis, *mala* suis nominibus digniora, & pristinis omninò *majora*, accersuntur.

XIII.

Breviter autem etiam attingere libet, occasione minoris *etatis*, *malum* aliquod, pueris & adolescentulis paulò intemperantioribus non ignotum; ut ex *ingurgitatione* ciborum, aliquando ita malè habeant circà præcordia, cum dolore quin etiam capitis forti & anxio, ut per horas multas, imò vel in alterum diem, verè ægrotare sentiantur. Quando verò, in *levissimo* malo, *quiete* atque *somnò*, in *ferociore*, tandem coortò vomitu, ventriculum *exonerant*; videas illos, subinde etiam post unum horæ quadrantem, ita sibi restitutos, ut mox etiam iterum edere, possint, imò cupiant. Qualem constitutionem, non satis exquisitè observatâ, (cum veram causam sæpè etiam occultare soleant,) addiphagiâ intemperante, pro in gente ventriculi imbecillitate interpretari, & proptereà *medicationibus* acrioribus, patientes tales, vix nomine hoc dignos, vexare, non modo nullum usum habere potest, sed etiam verioribus malis *majoribus*, ansam præbere. Quandoquidem hujusmodi *vomit*us, ut in rebus ita constitutis, longè manifestius *salutaris* effectus, quàm insalubris eventus, rationem habet; & proptereà magis (non tamen etiam *pharmacis* intempestivis) juvari atque sublevari, quam opprimi meretur: Consilium autem adversus totum hunc casum, neque certius est ullum, neque melius, nisi intemperantem ejusmodi *edacitatem*, imò *ingluviem*, prohibere: impendentem autem jàm *vomibundam* anxietatem, per *potulenta*, etiam sub nausæâ, adsumenda, simpliciore, tali, & minimè molestè stimulatoriâ, ratione, *facilitare* magis, quàm insigniter promovere, nedum proritare.

XIV.

Progredimur autem ad talia, quæ reverà certionem jàm speciem præ se ferunt, ad *mali* cujusunque habitum aut conceptum: aut certè proximum gradum atque aditum ad ejusmodi veriora, quantum libet *minora*, mala. Sunt autem talia, ut inter se *nexum* aliquem foventia 1.) PLETHORA seu

sanguinis abundantia; 2.) Necessarius *reciprocus* ejus habitus ad MOTUM & QUIETEM: 3.) Spontanea hujus *eruptio*, per moderatas HÆMORRHAGIAS; 4.) his non probè succedentibus, RESTAGNATIONES circa *locâ hæmorrhagiæ* destinata: & denique 5.) SUBSIDIARIA artificia, abundantiam hanc *arbitrariâ* evacuatione minuendi.

XV.

ABUNDANTIAM sanguinis, *boni* quam maximè atque *floridi*, non ita simplicis atque veri *boni*, sed certius *mali* alicujus, rationem habere, illis extrâ omne dubium positum esse debet, qui bonitatem *Craseos* sanguinis *constantem*, à liberissimo ejus *circuitu* dependere, huic autem, à nimia quantitate, *impedimenta* certa impendere, ex ipsis *mechanicis* legibus circulationis sanguinis, satis per spectum habent. Potest tamen etiam hoc, *exiguum* tantisper malum manere, atque intra hos limites quasi circumscribi, quando, tam justò moderamine *edacitatis*, & vero atque serio usu *exercitiorum motus* corporis, defectus illi compensantur, quos spontaneo motui objicit nimia *copia*, circa liberum *cricuitum*; quàm ipsa abundans quantitas prudenti *augmento* atque continuatione fortioris hujus *voluntarii* motus, per colliquationem fortionem reverà *imminuitur*.

XVI.

Quemadmodum autem, hoc intuitu, *abundantia* sanguinis reverà est aliquod *malum*; imò verò tale malum, quod minus prudenter æstimatum atque habitum seu tractatum, & *pluribus*, & *maioribus*, aliis, aditum patefaciat: ita potest tamen tantisper *minus* adhuc malum omninò manere, si ita affectis, benè cum ipsâ conveniat, in eo, ut mirum ipsis non videatur, nedum malum, minimè omnium autem *magnum*, malum si, sub tali constitutione, non valeant eadem libertate, nedum intemperantiâ seu immodestiâ, circa *motûs* & *potûs*, & quocunque alia *sangvinem* fortiùs *exagitare* possunt, abuti. Hoc enim simulatque pro *mali* alicujus specie æstimare in animum admittunt, proxima communiter est cura, quomodo hujusmodi, per-

perperam intellectis *morbidis impotentiis*, per medicationes occurrant & auxilium quærant. Ubi etiam, per hodiernos mores, mox *crasi* humorum temerè imputando, quod magis à *motu* illius, & quidem *quantitatis* culpâ, petendum fuerat, & sic *ficto* morbo, etiam *heteroclita* & ambiguum effectuum remedia adhibendo, è *minoribus* malis certissima *maiora* pullulant. Et ibi quàm maximè locum habet observatio etiam ipsius plebis, Wann Leute von gesunden Aussehen einmahl in Arzney = brauchen kommen / daß sie damit auch insgemein in mehrere Beschwehrungen gerathen. Ubi certè inter *maiora* mala, quàm quæcunque à *Plethora nihil turbata* procedere possint, numerari meretur usus acidularum, qui sic affectis familiariter suaderi solet: qui sumtûs, tempus, itinerum incommoda, multis certe nec ipsa parvi æstimanda mala, in vera, & omnium hominum iudicio memoranda, in eo convertit, dum vel plane *nullam*, vel certissimè non nisi *brevem*, opem atque sublevationem affert, adeoque verè nullum operæ pretium facit.

XVII.

Incedit autem pari passu cum hoc *leviore* tantisper malo *abundantiæ* sanguinis, velut alternis successibus, alterum, malum, nempe verior *necessitate* motum localem diligentius exercendi. Quod quidem cum, aliis per luxuriosam *ignavi- am* aliis per *officii* sedentarii aut *assidui*, labores, aliis per commodæ *occasionis* defectum, *malum* haberi mereatur, quamvis *exiguum*; seponunt propterea illud, nec illi operam dare, nedum invigilare, cordi habent. Cujus tamen neglectus, aut, ut *minoris* mali, evitationis, pœnas deinde dant, dum *magis* malis consecutionibus *Plethoræ* suæ, ita velut insolidum relinquuntur.

XVIII.

Unde quidem nihil, nisi verius *maius* malum, parturire potest, sive neglectus, sive fastidium atque averfio, a legitimo usu motus *voluntarii* diligentioris atque *vividioris*, in
ab-

abundantia sanguinis, liberum ejus motum *spontaneum* prægravante. Ubi tamen etiam ita notari debet hæc quasi *necessarii* voluntarii *motus*, ut *minoris* mali, indoles, quo alterum, hujus ipsius malè agniti atque intellecti, incrementum in *maius* malum, evitetur. Quando videlicet, tanquam pro compendio *moderatio*ris, sed eo ipso etiam necessario *longioris*, motus, præcipiti impetu suscipitur brevior; *damnis* potius conciliandis, quàm sperato & optato usui, certius velificaturus. Quod nempè non fit, nisi propterea; quod *necessitas* frequentioris atque longioris motûs, quadantenus pro *malô* aliquô reputetur, atque fastidio: cui ita, quod ajunt, per brevem manum importunioris exercitii satisfacturi, *maius* inde malum experiuntur.

XIX.

Progredimur ad tale *malum*, quod non amplius indocti vulgi opinio, sed artis ipsius edicta, censoria nota afficere non dubitant, & ut rem *præternaturalem* coarguere: tanto magis illius scholæ Antistites, qui sanguinem, *simpliciter* & *absolutè*, ut *vitæ thesaurum* & *spirituum vitalium* promum condum, veneratur, & *DEUM & Naturam nihil facere frustra*, & cum plebe, des Guten fônne man nicht zu viel thun / decantant. Est hoc ipsum nihil aliud, nisi *eruptio* sincera sanguinis, seu, rem veriore nomine exprimendo, *exoneratio* ejus atque ventilatio, per *HAEMORRHAGIAS*:

XX.

Enimverò, si in locum operosarum, & tamen passim otiosarum, *speculationum* de *causali habitu* simpliciorum sanguinis *excretionum*, potius animus adverteretur ad simplicissimas observationes illarum rerum, quæ non *raris*, sed & *numerosis*, & *notissimis*, exemplis innituntur, fieri certè vix posset, ut locò dilucidorum atque notiorum *actuum* atque *effectuum*, intricatæ ejusmodi, imo inanes, *opiniones*, non solum excogitarentur, sed etiam ad *Medicum* usum deinde transferrentur: Feliciter, si tantùm *frustrà*: familiariter autem,

&

& promedodum longè certius, etiam in ulteriora atque graviora *damna*. Quid enim usquàm notius est, quàm, quod *pueri, adolefcentes, adultæ, ætatis virilis* sexus, in habitu corporis reliquo etiam sano, satis familiariter occurrant, *hæmorrhagias narium* experiri sœvè; sine ullo reliquo incommodo, nedum detrimento suæ *sanitatis*: sed potius, cum conspicuo *levamine*, grammatico sensu, unde nostrates: *Es merde ihnen der Kopff davon leichte*. Vbi nempè insuper rarissimè opus est prolixâ disquisitione, sed passim comparet, quomodo ejusmodi homines, imprimis per *externas* occasiones, *expansoria* aliquâ commotione sanguinis concitatâ (ut à *motu nimio*, aut *potu spirituosò*, aut *edacitate in lauta diætâ*,) veluti *paroxysmos* quosdam, *consuetæ* de reliquo *hæmorrhagiæ*, experiantur. Omnibus autem hominibus notissimum sit, quod *consuetæ* etiam tales *hæmorrhagiæ*, nihil alterius *maline*que foventes, nec post se trahentes, quasi solenni suo more, sequantur *calorem, temporum, & tempestatum* anni; nempè magis ad *quantitatem* sanguinis *expandendam*, quàm *crasin* ejus, secundum veritatem, depravandam, efficacium. Ut adeò inde, tanquam ad oculum, dilulescere possit, quòd hæc tales *hæmorrhagiæ*, non mereantur pro tanto *malo* reputari, quod propterea tolerari non possit aut debeat: sed potius variis *artificiis* tentari, quorum tamen non solum nullus, ad conceptam Spem, sed tantò magis ambiguus, imò certius *periculosus*, & *majoris mali* compos, effectus potius, quàm eventus, justâ animi attentione indies observari possit.

XXI.

Quid verò, quod omni mundo, immensò numero perpetuorum exemplorum, antè oculos veluti positum sit, quod in universo sexu FOEMININO, sub maximè *florido* reliquo universo corporis habitu, quamdiu sanguinis ventilationes *menstruæ*, quàm maximè *liberè* atque *liberaliter* procedunt, tamdiu etiam fœmellæ tales, prospera & *constante Sanitate* ita fruantur, ut etiam reverà tantisper *constantioris* sanitatis compotes sint, quàm *virilis* sexus. Ex adversò vero, iterum

dicimus, quàm maximè *floridò* sanò habitu, instructæ, quancunque harum *ventilationum* defectibus corripiuntur, eò ipsò quàm sensibilissimè, & *pluribus*, & verè *majoribus* malis, obnoxia fieri sentiantur, quàm *evacuatio* illa menstrua, verò sensu, nusquam soleat, nedum debeat, æstimari. De quibus etiam insuper illud, uti ferè scitu familiare, ita notatu dignissimum est, quod iisdem etiam nullâ aliâ arte, sive certius, sive solùm ad ullam bonam spem solidi effectus, mederi sit integrum, quàm simpliciter per evacuationum illarum restitutionem, in legitimum successum atque liberum progressum.

XXII.

Sicut autem ex huiusmodi mundo pleno exemplorum, discere certè deberent homines, quin potius solùm agnoscere, quàm parvum in hoc ordine malum sint atque haberi debeant, tales sanguinis *evacuationes* seu effusiones, quæ præsentì *abundantiæ*, partim *molis*, *plethoricæ*, partim *virtutis elasticæ* seu turgefactoriæ, non tam simpliciter *superveniunt*, quàm potius, rectè æstimando *subveniunt*: ita debebat animos tantò magis ad huius rei attentam contemplationem revocare, successus ille varius, ubique tamen *majoris*, quàm simplicior *hæmorrhagia*, *mali* nomine dignus, qui à sanguinis *abundantia* minuenda & *exoneranda*, ut (*objecto*) *conaminibus* ad hanc *exonerationem* *contendentibus*, sed *exitum* non assequentibus, (ut *instrumento* infelicitè efficaci, (tandem autem *restagnatione* circà illa loca, ubi exitum invenire debebat (tanquam *subjecto*) dependet. Cuius quidem nomine atque intuitu, certè multis, quod ajunt, *parafangis*, distant atque differunt, discrimina atque *gradus* *ναύσσοις*, revera ita *minorum* illorum *antecedentium* malorum; quæ vel ipsius *abundantiæ* sanguinis, vel ab hac pendentium *impotentiarum* quarundam circà motus & potus; vel *necessitatis* moderati *motus*, atque temperati *potus*; vel denique actualium *exonerationum* nomine, aliàs accusari solent.

XXIII.

Sicut autem ita propemodum cum humanis rebus com-
pa-

paratum est, ut quæcunque circa illas sunt aut fiunt, *mala*, eundo potius acquirant & *adaugeant* vires, quàm *amittant*: ita valet hoc certè etiam adhuc de ulteriore progressu, sub mutuo tamen *respectu*, etiam hujus classis malorum, quam modò attigimus: ut nimirum etiam illorum ipsorum adhuc interesse ita diversi existant *gradus*, ut non solum unam velut *in se*, altero sit tolerabilius: verùm etiam, quod quidem anticipando prælibamus, unius talis *minoris* temerariè impatiens fastidium (præsertim autem *arte incondita* complice) *majoribus* malis patulam portam aperiat.

XXXIV.

Ita enim, primò locò, STAGNATIONES illæ, quamdiu per *ætatem* minorem, circa *caput* adhuc subsistunt, licet, *doloribus* hujus, & *dentium* quoque varias molestias faceffant: tolerabilius tamen adhuc est hoc incommodum, quàm si ad *oculos* incumbentes, *inflammatoria* horum vitia progignant: quid, præterquam quod oculis ipsis *ungues* & *pannos* non ita raro inducunt, etiam illud malitiæ fovere sentiuntur, ut longè *contumaciores*, etiam ad *augescentem* ætatem duraturas, & tandem *hemicraniam* pertinaciam assumentes, obstinatissimas *revolutiones* capeffat.

XXV.

Ita verò etiam in adhuc valdè *tenera* ætate quidem, non tam ab *hæmorrhagica*, benè verò jam in *puerili*, ad primam *adolescenciam*, (præsertim in aliquantò magis *phlegmatica* crasi Sangvinis,) ab ejusmodi *stagnationibus* versus atque circa *caput* *ulcerosos* affectus, *Achorum* nomine (*böse Rôpffe*) pullulare, notissimum est. Hæc Affectio, licet oppidò pluribus nominibus, incommoda, & respectu illibatæ bonitatis sani statûs, *mala* sit: emanavit tamen jam dudum in ipsum usque vulgus hominum, illa notitia, quod ex hujusmodi *malo*, imprudenter æstimato, impatienter tolerato, adeoque imprudenter *oppugnato* & oppresso, nihil certiùs, quàm omnium etiam hominum sensu plurimum *majora* seu deteriora *mala*, impendeant.

Jam verò, quantò magis restagnationes illæ circà *caput*, è *destinatis* quidem, sed tamen non benè succedentibus *conatibus hæmorrhagicis*, ad *adultam* usque, imò *primam juvenilem*, ætatem, circà ipsum *caput* vigere continuant; tantò magis tolerabilis est hic ipse, & ut in hoc loco, illarum malitia: *minor* nempe plurimum, quàm illa, ad quam propendent, imò incumbunt velut, si ab his locis (citrà veram atque præcipuam fundamentalem rationem *subtrahendi* atque *subruendi*) saltem *reprimantur* atque *dispellantur*. Quandoquidem hâc ratione communissimè, & non veremur dicere, *regulariter*, in *pectus* incumbendo, citrà omnem loquendi ambiguitatem aut figuram, nimium quantum *maiora* mala & damna, certò certò certius *machinantur*: nempe *hæmoptico phthifica*.

XXVII.

Quando verò circumspectiùs toleratæ etiam *emansiones* tales quasi meritò expectandarum, aut planè jam iprius adven-
tarum, *hæmorrhagiarum*, à *pectore* quidem ita veluti distinen-
tur atque avertuntur, aut quocunque etiam alio, *temperamenti*
dicti Melancholici, *vite rationis* sedentariæ atque taciturnæ,
victûs sicciore atque crassioris &c. interventu, magis jam ad
abdomen incumbunt; nascitur inde notissimum illud, & ipsi
famæ publicæ sub hoc nomine jam pridem commissum, *Malum*
hypocondriacum. Cujus, uti non minùs noti utique sunt va-
rii *gradus*, ita tuentur certè horum *inferiores*, justissimum no-
men *Minoris Mali*: quod proinde ita *exaggerare* patientibus
injustum est, ut illi proptereà *necessitatem* sibi impositam esse
arbitrari possint, multis, variis, continuis, medicationibus, tali
malo obsistendi. Ubi, cum *pharmaceutica* medicatio, sæpè
numero planè *nullam*, aut ad summum, non nisi *temporariam*,
hujusmodi efficaciam exhibeant, ad minimum ita *duplicari*
pristinum illud *minus Malum* sibi, intelligat atque sentiat æger,
ut præter *physicum*, quod eum ita non deserit, malum, etiam
civile illud, sumtuum inutiliter expendendorum, ipsi incum-
bat. Si verò importuniorem nactus sit consiliarium, qui ma-
jore

jare cum vehementiâ, *minus* illud malum oppugnare, & suâ opinione expugnare, in animum inducat, & huic intentioni etiam per *crudiora* vulgaris censûs remedia satisfacere speret, non ita difficilè, aut proinde inusitatum est, ut *minus* hoc malum *incrementa* acquirat; aut *retrogrado* illo incessu, denuò ex *hypochondriis* in *pectus* recumbendo, *hæmoptico-phthisicos* eventus etiam ibi suscitet.

XXVIII.

Quamlibet autem hoc ipsum *Hypochondriacum malum*, nomen hoc tantò certius æquè, atque veriùs seu digniùs, mereatur, quando iam in *Colica* ferociora pathemata, veluti provolvitur; non est tamen etiam sub tali statu, tanta eius *magnitudo*, ut non, impatienter toleratum, & inde imprudenter atque impotenter oppugnatum, adhuc magis gravius quoddam post se trahere possit: Id quod non difficulter, intelligent æquè, atque consentient, quicunque satis recordabuntur, quod à *calidioribus* in *feroci Colica*, cum *regimine diaphoretico* temerè obtrusis, minimè difficilis sit transitus in *convulsivos* affectus etiam circà *exteriolem* ambitum corporis excitandos, (quod in foeminis non ita rarò contingit,) aut, quamvis non æquè familiari eventu, ad *Paresin*,

XXIX.

Quid autem dignius fuerit *minoris*, & contrarium eius, seu potius confectarium, *maioris* mali nomine, quàm illud, quando in *dorso*, primò quidem circà *lumbos*, sed tamen magis magisque, dummodò nihil turbetur, altiùs *deorsum*, per *ossis sacri* longitudinem, sese exserens *dolor*, temerè & simpliciter pro *nephritico*; aut etiam veriùs *nephriticus*, quin potius *uterque* hic, ita pro *calculoso* declaratur, ut ipsi etiam per *varia usitata*, sed falso hòc nomine celebrata, iam *comminuendo*, iam *pellendo*, *calculo*, dicata, remedia, occurrendum esse censeatur. Quibus irritis, ausibus potius, quàm tentaminibus solùm perverfis, tanquàm ordinariè demum in *calculosum* proventum patientes ceu præcipiter aguntur, à quo nimio magis difficilè sit, eosdem unquam ampliùs liberari,

quàm proclive atque facile fuerat, in *ingens* hoc malum ipsos præcipites prolabi.

XXX.

Jam verò, quando etiam magis iam in forma *Os sacrum* invadunt illi dolores, & prudentiùs tolerando atque occurrendo, diutiùs contineri quasi possunt, ne, sub repetitis sui insultibus, hunc locum temerè mutant, atque ad *caput ossis femoris, genua, pedes*, devolvantur: præbent certè hoc ipso, sub qualiumcunque *Ischiadicarum* passionum forma, minus omninò malum; quàm, si ad dicta loca ulteriora progrediendo, uti de reliquo etiam magis anomalos, ita certissimè immensum quantum *pertinaciores, Ischiadico-Podagricos* dolores constituunt. Quandoquidem peritior *Therapia* omninò confirmat, quod ante dicta illa, adhuc ita *altiùs sursum* obhærescens Affectio, circa ipsum *Os sacrum*, uti, omnibus modis *melior* est, quàm longius *deorsum* excurrrens; ita revera etiam longè promptiùs atque constantiùs obsequatur, imprimis *Præservatoriis* atque *præoccupatoriis*, imò verò etiam *dissolutoriis* atque *discussoriis*, medicationibus, quàm dictæ illæ longiùs progressæ, & maximè omnium ipsa *Podagra*.

XXXI.

Omnium autem hominum prudenti pensitationi meritò commendamus, An non tolerabilius longè sit malum, & omninò minus, si *particulares* tales dolores, certum aliquem firmum atque fixum locum occupent, & per *extremitates* corporis inprimis *inferiores*, quasi distributi, ab ipso corpore, & *interioribus* eius penetratibus ita distent. Unde sine dubio pro *maiore* malo habenda venit, illa eius ferox concitatio, quando in *Vagum* impetum turbati *spasmi solidarum*, & per hos *stagnatoriæ* congestiones *fluidarum*, partium temerè susque deque corpus pervagantur, *vagæ Arthritidis* nomine. Quæ etiam eò nomine tantò deterior est, quod nec ipsa in *Arthritica* indole sinceriore, subsistat; sed longè magis ipsam hanc adhuc nimio periculosiorem evagationem ab *exterioribus ad interiora*, non magis affectet, quàm maximè im-

importunè prosequatur & exsequatur : Imò in omnibus his rebus, tam circa *exteriora* quàm *interiora*, adeo nullum modum fervet, ut potius nimio *ferocius*, nimio *pertinacius*, nimio *frequentius*, patientes graviter invadat & exagitet, quàm five *exterior* tales, five *interiores*, spastico. stagnatorii Affectûs *seorsim*. Imò ipsa hac ratione, & tam *periculis* gravioribus, quàm *virium* etiam consumptione magis multiplici, rarò *senescere* permittat largiùs, sibi subiectos, sed potius tempestivæ funestæ catastrophæ illos admoveat.

XXXII.

Manuducit nos autem utique hujus constitutionis mentio, etiam ad alteram, veluti *generalior*em, illam inclinationem, mali unius in deterius, *minoris*, in *maius*, quando etiam in *non vagis* arthriticis affectibus, imò ipsa jam *Podagra*, per malam patientium observationem, seu incontinentiam longè certius autem atque usitatius, per intempestiva & incondita artificia, arthritico - podagrica talis contentio, exterius quidem dissipatur, interim ad *interiora* non tam convertitur, quàm veluti *compellitur*. Ubi certè nemò facile fuerit, si modò rem ipsam ut *in se* est, vera narratione exponi audiverit, quin facile consentiat, *maiora* esse mala, graves regurgitationes & *coacervationes* humorum, concurrentibus etiam ferocibus *contentionibus* spasticis, circa *interiora*, nempe *viscera* ipsa; & inde pullulantes jam *inflammatorios* Viscerum, jam gravissimè *cardialgico-vomibundas*, iam *colico-choleriodes* & *Icterodes*, Affectus & effectus: iam, pessimæ indolis & *pertinaciæ*, *Hydropes*: aut ante dictis illis *acutioribus* accidentes aut accedentes, etiam *acuti* eventus sæpius compotes, quàm simpliciter suspectos, ferociore *Singultus*. Ut de *Urinariis* incommodis, prolixi non simus.

XXXIII.

Placet autem, ad minimum locò distinctò, notare atque recensere, hodiernis sermonibus admodum celebratas *Rheumaticas*, è *minore* malo in *maius* propensiones; adeoque tantò magis differentiam, ut *maioris* & *minoris* mali,
in

in hoc ordine, seu veluti classe. Ubi videlicet omni modo ita res se habet, quod tanquam innumeris exemplis, vulgò ita dicti *Rhevmatismi*, è mala patientium ipsorum administratione, aut intempestiva commotione, per *medicamenta*, aut *regimina*, ab *exterioribus* corporis regionibus ad *interiora* repulsi, grandia ibi, & propter præsentaneam periculum, revera *magna inflammatoria mala*, forment magis, quàm vulgatâ loquendo formula, solum provocent aut excitent. Unde patientibus, quod ab *externa Rhevmatica stagnatione* etiam nunquam timendum venit, hîc magis *expectandum*, quàm *timendum*, immineat exitium. Cum enim, si rem simplicissimè æquè, atque clarissimè, eloqui velimus, *Rhevmatica constitutio*, vix usquam, certè verò nusquàm certius, inveniatur, quàm in ita dicto Temperamento *Sanguineo-phlegmatico*; Ubi per texturam corporis *porosiores*, *stagnationibus* sanguinis tantò plus patet aditus. Quando huiusmodi corpora *spastico-translatoriis* illis *contentionibus* afficiuntur, quæ humorum, imò veluti strictius, dictam *sanguineam massam*, circa spiracula veluti *excretoria*, congerunt. Evenit illis ita, copiosior congestio atque stagnatio massæ humorum, in porosiores huius indolis partes ita coacervatorum. Talis *stagnatio*, quando *modestissimis* successibus dissolvitur seu discutitur, maximè omnium autem *opportunis* etiam *subductionibus* seu *ventilationibus* sublevatur, & ita *exonerationi* etiam *resolutio* seu *discussio*, subordinatur: Imò vel ipsa patientia, commotæ primum, & deinde pertinaci, congestioni & contentioni, veluti intepefcenti locus relinquitur; cedunt omnia, ad minimum extra periculi alicuius Sonticum eventum. Quando verò vel *internè*, potius temerè *exagitantur* & illorum commotiones adeoque *ventilatorii* levaminis, potius *expansoriae* atque *stimulatorie* exacerbationes inducantur, aut *externis*, non solum *præmaturis*, sed etiam *importunis*, non tam *discussionibus*, quàm *repulsionibus*, res geritur: convertuntur ita, tam *contentiones* illæ, quàm *congestiones* atque *restagnationes*, ab exterioribus ad

interiora. Quæ interim, quia copiâ admodum importunæ, (in talibus corporibus, copiosæ stagnationi per exteriora,) expositis, existunt, obruunt ita repentino impetu ipsa *viscera*, ut ibi nihil, nisi longè magis Sonticæ huiusmodi *restagnationes*, locum inveniant, nempe actualibus *stasibus* proximè idoneæ, adeoque periculosas *inflammationes* viscerum parturientes. Quarum rerum præcipuum specimen est, iam ante ipsa Hippocratis tempora infamis, *Erysipelatodum Affectuum*, salutaris *ab interioribus ad exteriora*, sed periculosissima *ab exterioribus ad interiora*, declarata conversio.

XXXIV.

Equibus nempe considerationibus, adhibitâ decente animadversione, nullâ utique difficultate elici potest, quod, quantumcunq; etiam malum cenferi mereantur *Rheumatica* illa pathemata, tolerabiliore sensu sic dicta, nempe circa *exteriores* corporis partes occupata; tamen revera adhuc *minus* longè sit tale malum, quàm aliud, quod ex huiusmodi stagnationibus atque contentiosis congestionibus *ad interiora*, ortum atque subsistentiam suam habet. Quod quidem maximè eò inservit, ut omnis cautio adhibeatur, ne heteroclitis medicandi rationibus, sive intempestivè *exagitando* humores, sive inconsultè, ab exterioribus *repellendo*, quodcunque huiusmodi *malum* verè in *deterius* conjiciatur. Sicut autem iustissimum esset, de variis ejusmodi *conversionibus* morborum, è tolerabiliore loco in multò periculosiorem, prolixius agere; ita vetat hoc tamen modulus quasi præfinitus, tractationis nostræ, nempe *Dissertationis* scribendæ: siquidem secus, facilius in librum excrescere posset labor. Interim, uti rem ipsam peritis recordationibus meritò commendamus, ita revocamus etiam, solertibus Praxeos Cultoribus, in memoriam speciminis horum omnium locò, illos Affectus & eventus, quando *Febribus*, quocunque tandem nomine, in hodierna illa *Anonymias* licentia, salutentur, aut ipsò titulò *Rheumaticarum* jam donatis, per *criticos* dies vel circiter, repentina quædam

apostasis, ingens & impetuosa, v. g. in alterum *pedem*, evenit, adeò, ut ille totus ad genu usque, intra paucas horas, immodicè *intumescat*, cum *rubore*, *duritie* & *calore* etiam (imprimis per initia) admodum sensibili. Hic Affectus, licet, sine exquisita adhuc bonitate *constantioris*, seu, ut vulgò loquuntur, *robustioris* Naturæ, & dexterrimâ tam *Therapiâ*, quàm *Pharmacîâ*, in naturalem statum non reducat; imò in jam *annosioribus*, & (quales quidem propriè, vix non unicè, invadere solet,) succulentioribus seu *humidioribus*, nedum qualitercunque *Caco-chymis*, etiam nullâ arte feliciter expugnetur, sed per reliquam vitam patienti obstinatissimè adhæret: quin per occasiones nec ita planè peculiare, nec proinde etiam adeò æquè raras & inusitatas, denuò ad intimiora *regurgitando*, patientes tales in novos *periculosos internos Affectus febriles inflammatorios* conjiciat, & sæpè hac ratione, *directa*, vix autem non semper certissimè *coniuncta causa* mortis, ferius ocyus, evadat. Nihilo secius est talis Affectus, eâ comparatione *minus* certè adhuc malum, ut certissimè in nimio *maius* convertatur, quando intempestivis & infaustris ausibus, externis, aut internis *impetuosis* tentaminibus artificiosis, locò maturæ atque tempestivæ *discussionis*, potius, ut loquuntur, *repercussitur* ab extremis, certè exterioribus, ad *intimiora*, ipsa nempe *viscera*, vitalibus usibus propiùs dicata atque destinata.

XXXV.

Placet ab hoc malo *maiore*, licet tamen in comparatione *maximorum*, adhuc *minore*, transitum facere, ad omninò notoriè *minus*; & tamen habitum ejus maximâ consideratione dignum, ad graviora, imò ingentia mala post se trahenda dicam, an potius præbenda atque producenda? *Scabiem* intelligo, quantumcunque legitimam atque simplicem. Hujus certè, nisi quidem vera atque fundamentalis suppetat curandi methodus, adeò consulta est, ut verè *minoris* mali, patientis tolerantia, ut, per impatientiam susceptæ ejusdem oppugnationes, per externos, nominatim *sulphuratos*, litus, non solum

lum infallibili successu atque eventu, longè graviora, sed & subinde à funesto eventu non longè abeuntia mala, post se relinquat.

XXXVI.

E quo quidem exemplo, uti satis elucescit proportio, quantò maius, & imprimis præsentius, malum, objicere possint, minus prudenter tolerata, & pro *minoribus* malis, non, uti docet, reputata, Exanthemata *acutioris* motûs: ita sufficit de familiarissimis talibus, testimoniò totius propemodum orbis, affirmare atque confirmare, quod ipsa talia, *directè*, & *in se*, extrà *accidentales* tales in deterius demum conversiones, reverà sint nimio *minus* malum. Id quod *Variolarum* atque *morbillorum* exemplum docet; qui nempe utrique Affectus, citra intempestivam sive meticulositatem, sive curiositatem, patienter solùm tolerati, totis hominum myriadibus feliciter abscedunt: Cum ex adverso, quoquo modo obturbati, non solum longè pejoribus symptomatibus ægros exercent: sed etiam ut plurimum, è securis, è propria sua indole, rebus, non solum in periculum, sed omnino damnum vitæ ipsius exeant. Unde interest utique, puto, agnovisse, quid in his etiam rebus, veri majoris, quid verò verè *minoris* mali nomine, censeretur & haberi mereatur.

XXXVII.

Præcavimus nobis jam suprà, quod non illud necessitatis nobis impositum esse agnoscamus, ut omnium omnino *minorum* talium malorum, ita exquisitum censum agamus, ut propterea etiam singula citeinus nomine. Confidimus enim utique, posse hætenus dicta, ferè eminentiora exempla, tanquam paradigmatis locò affatim sufficere, ut etiam reliqua ad easdem tribus pertinentia, intidem faciliè agnosci atque deprehendi possint. Placet autem unicum adhuc adjicere, de *chronicorum* talium gente, nempe *Gonorrhæam virulentam*. Est hoc equidem non solum incommodis plurimis, sed etiam progressibus acrioribus ulcerosis, nequaquam parvum aut leve malum. Quoniam autem ex & *per se*, ad efferos progressus, aut æquè

planè intolerabiles passionés inducendas, non temerè ruit; nec propterea tam præcípites medelas æquè urget aut efflagitat: quin etiam dextra arte non ita difficillimè tam satis tempestivè, quàm verè constanter atque funditus, curatur ac tollitur; nemo certè fuerit, quin illam pro leviori multis modis seu *minore* malo agnoscat, quàm *Luem veneream* in totum jam latifundium humorum diffusam, & inde radices illas, tam profundas, quàm firmas atquè lentas, in solidis partibus agere molientem. Interim non certus solum, sed etiam planus & facillimus est à *Gonorrhæa*, ut certè *minore*, ad hoc *maius* malum, transitus; quando illa impatienter tolerata impotenter citò *opprimitur*, seu *fluxus* solus cohibetur, non expurgato potius, per hunc ipsum fluxum, *inquinamento* illo *maligno*, tunc demum facilè consolidato, ulceroso illo fonte in prostrata glandula. Abstinendo interim in solidum, à regiminibus *sudoriferis*, vulgò in hoc genere usitatis. Imò verò, si etiam non tam ipsa hæc *universalis* diffusio maligni illius contagii in totum corpus, per talem intempestivam *oppressionem* gonorrhææ, & imprudenter adhibita *regimina* diaphoretica, inducitur, nihil tamen ferè certius est, quàm ad minimum *bubonum* proventus: quos ipsos etiam, quomodocunque tandem, (exceptâ nudâ benè tempestivâ restitutione *fluxus*, & sub secuta iterum spontanea resolutione atque dissipatione,) exeant, *maiora* pericula atque incommoda inferre, quam ipsum fluxum, peritorum nemo est, qui nesciat. Unde quidem certè etiam hac in parte locum habet discretio *minoris* mali à *maiore*, & cautio, ne temerarius ex uno in alterum fiat, nedum perversis consiliis & ausibus, concilietur atque instruat, transitus.

XXXVIII.

Priusquam autem hanc, *Chronicorum minorum* malorum à maioribus discernendorum, classẽ deferamus, venit adhuc aliquid utique dicendum de *minore* aliquo malo, quod *fœminino* sexui sic satis familiariter incumbit, & ad *maiora* ad

modum proclivem aditum pandit; Est hoc, vitium *Succes-*
fus Menstrui, tam in *defectu*, quàm *excessu*. Equidem nemo
puto de nobis suspicabitur, quod nesciamus, quam fœcundum
segetem, aut certè sementem variorum malorum ulteriorum,
hoc ipsum tanquam primum & fundamentale, offerat & exhi-
beat: Eò tamen non obstante, propterea maximè pro *minore*
malo hoc ipsum adhuc declaramus, quia nulla ferè faciliore at-
que familiariore ratione, ipsa illa *maiora* mala ex hoc minore
in actum deducuntur, nisi per *occasionem* ipsius hujusmodi per-
versæ æstimationis, & ita deinde suscepti consilii, huic malo,
tanquàm *maiori*, citò atque *fortiter* resistendi, imò illud quo-
modo expugnandi. Inde enim certè facillimus demum
patet transitus, per *copiosa*, aut *impetuosam* *pellentiam*, in *Men-*
strum & *Lochiorum* inopiâ: per paris indolis autem *adstringen-*
tiam, in utrumque horum *abundantiâ*, ad successum certio-
rem odiosorum illorum verè *maiorum* malorum.

XXXIX.

Sicut autem dies nos, quod ajunt, sine dubio deficeret, si
omnia illa mala enumerare vellemus, quæ *sibi relictâ*, *minora*,
quacunque perturbatione, *majora* fieri, non magis possunt,
quàm solent: ita non possumus tamen nobis temperare, quin
adhuc paucis commendemus considerationem, ut certè *mino-*
ris mali, *Hæmorrhoidum fluxûs*, qualitercunque etiam incom-
modi aut immorigeri; præ qualicunque, sive obstinatè *moli-*
entium, sive jam actu *adsvectarum*, repentina *represione*,
& iis malis consecutionibus, quæ ab hac, *occasionibus*, imò *origi-*
nes suas, sumunt. Quod quidem imprimis valet, uti dictum,
de *cohibitione* seu *oppressione*; licet autem non exquisitè tan-
tundem *majorum* malorum portendat *exagitatio*, pro impe-
tranda *expulsione* hæmorrhoidalis evacuationis suscepta, non
caret tamen neque ipsa suâ efficacîâ, ad augendam quantitatem
illorum malorum, quæ à *tarditate* eruptionis simpliciore in-
cumbabant. Quando verò per insignia impedimenta, fluxus
talis distinetur, ibi habent *importuniores* hujusmodi impul-

siones, omnibus modis præsentio- rem efficaciam, ad *exagge-
randa* nimium quantum illa mala, quæ antea vel incumbunt,
vel adhuc solum impendent. Breviter, requirit certè *Hæ-
morrhoidum* negotium planè singularem æstimationem, dùm
mirificè proclivè est, & vix non præcept, non solum in *deteri-
us*, sed certè sine omni verborum ambiguitate, *majora* mala,
quàm propria prior, imprimis quoquo modo succedentium,
iadales fuerat aut tulerat.

XL.

Facimus tandem transitum à *Chronicis* Morbis ad *acu-
zos*, & his cognatos *typicos*, unò vertò, FEBRES. Sed, cum
in harum etiam cœtu, non ita parvus sit numerus *respectuum*,
ad nostram rem pertinentium, quem universum exhaustire,
nimiam prolixitatem nobis injungeret; satisfacturos nos pu-
tamus officio nostro, si solum *eminentiora* Specimina paulò
largiùs, reliqua verò parciùs aut certè brevius, commemore-
mus. Nemini autem cor perturbetur, si *Febres* ipsas, seu
Febrem in genere, verè *sibi constantem*, minus malum esse, pro-
nuntiemus; & quidem *duplici* respectu. Primò (exceptis
solis *simplicibus intermittentibus*) minus malum esse asseve-
ramus, quascunque alias *Febres*, quàm illa alia mala, quæ ab
eadem causa, cui febris *supervenit*, eventura essent, si febris
non superveniret. *Secundò*, quia febris, rectè atque liberè
succedens, ejusmodi utique est negotium, quod non solum, ut
loquuntur, totò suò verò genere, (nempe totà suà verà con-
stitutione, si *accidentales* novæ determinationes seu Specifi-
cationes absint,) sit *salutaris*, nequaquam autem *funestus*, even-
tûs: sed etiam ad talem tendat atque progrediatur, per *metho-
dum* verè *vitam* sincerissimam, nempe *secretiones* & *excre-
tiones*; & quidem, (quod jugiter iterum iterumque mone-
mus,) non novas & inusitatas, sed simplicissimas has ordinari-
as, & verè quotidianò usu consuetas, ipsas *vitales*: *Gradu* so-
lum, atque *locò*, secundum præsentium causarum *extraordi-
na-*

nuriam, proportionem, extra ordinem quoque auctas & adhibitas.

XLI.

Suffragatur autem huic negotio non perfunctoriè, ipsa experientia in eo, dum in omnibus atque singulis *Februum* speciebus, non solum certissima, sed etiam præsentissima subinde efficacia, in integrum restitui ægrotales, comonstrat, & confirmat. Vulgus quidem, etiam ipsorum trivialium Practicorum, ait, convalescere seu liberari huiusmodi patientes à febre; nempe ut ab ipso morbo. Nos interpretamur, liberari ipsos febre, tanquam mediò, instrumento, imò remediò, admodum exquisitè quadrante omnibus necessitudinibus & intentionibus, ad eliminandam causam, quæ tali tempore corpus obsidet, eique eximium periculum machinatur. Quicquid autem horum sit; sive à febre rursus liber evadat, sive per febrim in libertatem vindicetur ager, quia hoc, regulariter, certò evenit; aut, quicumque tandem etiam sit exitus, (repeto, regulariter) meliùs seu mitiùs evenit, quàm si reliquæ tali restitutioni Febris non accessisset; meritò certè adhuc assevero, quod febris minus sit malum ex omnibus, quæ illò tempore patienti simul incumbunt.

XLII.

Tantò minus autem dubii cuiquam erit, quod ipsarum *Februum*, aliæ aliis sint mitiores, adeoque, quicquam etiam mali in singulis subsit, hæ aliis etiam in hoc mali intuitu atque respectu, minus quiddam inferant atque supponant. Jam verò, ut etiam nervum præcipuum nostræ considerationis retineamus, è minoribus talibus febribus, maiores etiam reverà oriri, notum satis est, ex eo, quod non solum aliquando ipsæ *Ephemera* seu *diaria*, sed etiam *intermittentes*, contrariis modis atque methodis tractatæ, in contumacissimas *Hecticas* transmigrent: sed etiam, in primis è *Tertianis Plethoricorum* æstuosioribus, *acutæ*, & nominatim *inflammatoriæ viscerum*, emergant. Cæterum autem etiam è simplicibus *Intermittenti-*

tibus, duplices, aut compositæ: è typicis, aut qualitercunque ordinatis, Erraticæ, & turbulentiæ: E periodicis, intra brevius tempus exitum suum fortituris, vagæ, rebelles, sæpius recrudescentes, & in longum tempus multarum sæpè septimanarum, cum varia turbulentia, & nullius genuinæ indolis observatione, excurrentes.

XLIII.

Sicut autem usitatissima illa distinctio Februm, in *benignas* aut *malignas*, simul infert hanc ipsam diversitatem *minoris* & *maioris* mali; ita meminisse convenit illius etiam ordinis, quò nos hæc talia mala considerare suscepimus: nempe in ordine veluti mutuæ *dependentiæ*, quâ majus malum à minore subinde pullulare, passim observatur. Hòc ipsò certè nomine, non solum *benignæ* febres reliquæ, adeoque longè *minus* malæ, revera seducuntur, imò impelluntur, quàm sæpissimè ad malos mores: sed tantò magis, quæ jam quasi spontè sua malitiosum quiddam foveat, summa certè cum cautione tractandæ veniunt, ne in multò *deterius* vitium inducantur. Quod utrumque, ex parte quidem mala gubernatione patientis; multò certius autem, adeoque & frequentius, præcipuè verò gravius, evenit, per incondita artificia, pro curanda febre, tentata, sed uilem magis, aut planè necessariam, rationem atque *proportionem*, turbantia, pervertentia intempestivè, interpellantia, imò opprimentia. Unde certè longè sæpissimè optandum prorsus esset, ut propriò suò malò solum relinquerentur patientes; Confirmantibus hoc numerosis exemplis, quod multi talium, vel iterum optimè convalescant, vel tranquillius & *quietius* etiam moriantur; quàm qui cum *turbulentis* artificiiis colluctantes, sive tandem adhuc salvantur, sive pariter emoriuntur. Ubi certè illa querimonia quotidiana, das Fieber hat eine große malignität bey sich / summò jure sæpissimè suspecta est, nisi vel *inflammatio viscerum* subsit, vel *contagiosa* sit Febris: In quali, uti paucitas, summa tenuitas, & tamen magna activitas, causæ illius, ut ingens negotium, tempestivis, placidis, & benè ordinatis, secretionibus & excretionibus

tionibus, obijciat & facescit; ita tantò magis, si harum vigil, sollicita, & summè circumspecta administratio, temerè obturbatur, quid potest aliud inde sequi, quàm summa confusio *in agendo*, anxia verò atque desperabunda trepidatio, atque intentionis ipsius dejectio (nec deinde in vires recidit) etiam simpliciter *ad agendum*. Exempli hujus rei tandem incipiunt paulò clarius dilucescere mundo, in luculentissimo illo Specimine *variolarum & morbillorum*: Qui nempe Affectus uterque, sibi relictus, & à perturbationibus veluti præservatus, per tot hominum millenarios, quam optimos mores servat & prosequitur: turbatus autem, facillimè malos certè mores exserit, & valdè periculosos progressus atque successus format. Quod certè dignissimum est notatu.

XLIV.

Brevissimis autem, commendamus adhuc considerationem illorum malorum *minorum*, quæ qualemcunque *dispositionem* involvunt, ad relabendum versus *interiora*: ab *achoribus, guttâ rosacea, lichenibus*, usque ad bubones & anthraces *pestilentes*. Sicut etiam illud maximè secundum hujus census characterem examinare, atque optimis instructionibus applicare, svademus, quicquid in quibuscunque affectibus, tam in genere, *temporis* aliquod spatium, quàm in specie, *ordinem* certum procedendi atque progrediendi, involvit. Qualequid, vel præcipitibus impulsibus, vel inconsideratis *interrersionibus*, vel imprudentibus *repressionibus* atque cohibitionibus, obturbare, & morbi *symptoma*, cum *Naturæ synergia* imò *energia*, confundere, miraculum certè esset, si non converteret *minora* mala in *majora*, &, quod spontè felicius cessisset, arte infelix demùm redderet.

XLV.

Ita tandem facinus progressum ad mala quædam *minora*, directè & simpliciter *Medica*; quæ nempe ex officina ipsa artis proficisci, vel creduntur atque reputantur, vel sentiuntur. De prioribus, notum est dictærum illud vulgare, böses muß man mit bösen vertreiben. Cui propemodum pollicem premit

quorundam Criticorum sententia, qui, ipsa *medicamenta*, tales esse res interpretantur, quæ, dum damnum aliquod inferant, aut certè machinentur corpori, hòc ipsò velut excitent Naturam, ad excussionem sui, & simul aliarum rerum jam molestiam aliquam objicientium. Quicquid autem sit horum, pejus certè semper est, indigere utique, seu opus habere mediis, quàm supersedere illis posse. Unde quidem etiam, cavendum meritò venit, nè qualiacunque hujusmodi *intempestiva* fortè, aut certè *minus necessaria* remedia, temerè in usum vocentur, seu potius obtrudantur, quando illis supersedendi, quæcunque adspirat libertas. Siquidem, quantumcunque etiam brevis fuerit molestia, ab assumptionis quacunque etiam necessitate tali caruisse. Quando verò hoc non amplius in nostra potestate, proximum utique esse quilibet intelligit, ut quanta maxima licuerit brevitate atque concinnitate, necessariò illò remediorum usu perfungatur, id est, secundum nostræ tractationis sensum & locutionem, etiam è talibus malis, quoad licet, *minus* semper eligamus, & illi potius, quam majori, animum submitamus.

XLVI.

Hoc scilicet intuitu, ante omnia maximè consultum erit, à *copia*, tam numerò, quàm specie, medicamentorum, semper, quoad ejus fieri potest, sibi temperare atque abstinere. Quandoquidem, hoc, utique quolibet intuitu atque sensu, minùs fuerit mali, quàm copię atque multitudini remediorum veluti addictum & obnoxium vixisse. Cum autem de hoc negotio etiam ex instituto propriâ tractatione jam actum fuerit a D.D. Præside Disputatione *de Multitudine Medicamentorum vitanda*, poterimus prolixiore hujus rei quasi repetitione, præsentè locò supersedere: nihil nisi illud unum seriò monendo, quod hujusmodi moderatio, non solùm longè frequentissimum usum habeat: sed etiam contrarium ejus, longè frequentissima varia *incommoda*, imò verius, sensibilia *damna*, post se trahat. Unde quidem optandum esset, ut tralatitium illud, & quantum ad medicam Scholam attinet, vix satis certi authoris, dictèrium: quod *interdum optima sit medicina, medica-*

men-

mentis non uti, accuratius enucleatum & sufficienter explicatum, atque ad ipsa exempla applicatum fuisset. Sed vota utique nunquam rem expediunt.

XLVII.

Digredimur potiùs ad Specialiora ejusmodi incommoda, & veluti mala, quæ vel ipsa eligenda veniunt, vel *majora* expectanda. Inter hoc non dubitamus primum locum assignare, *Sanguinis missionibus* artificialibus, tam V.S. quàm Scarificatione. De his subsidiis notissima est, uti usitatissima, illa locutio: *Servitutem* ita imponi patientibus, ut remedio hujusmodi natura facilè advescat, cui impofterum sine peculiari quasi pœna novarum exacerbationum, nefas sit supersedere. Quamvis autem hoc minimè negemus, quod hujusmodi evacuationibus, imprimis propter antiquarum molestiarum quasi facilius recrudescentem insultum, temerè renunciare, vix unquam impunè liceat: asseveramus tamen omninò, atque defendimus audacter, quod longè *minus* atque levius sit malum, semel, aut ad minimum bis, per annum, per quadrantem horæ ipsam etiam quam maximè imaginariam aliquam molestiam perpeti, cum sumtu etiam paucissimo: quàm perennibus temporum successibus, vel variis valetudinis vacillationibus, imò planè concussionibus, partim expositum esse, partim obnoxium: vel, longè majore, constantiore, imò pretiosiore insuper, servitute, perpetuis medicamentorum subsidiis, & propterea, Medicis, Pharmacopœis, Chirurgis, quasi emancipatum vivere. Imò, si cordatè rem, uti jacet, eloqui velimus, utrisque his incommodis, etiam sine spe, nedum solida aliqua ope, veluti adscriptum & addictum vivere. Quod profectò feriam considerationem meretur.

XLVIII.

Quemadmodum autem ita hoc præjudicium eximi potest, si animus solùm advertatur ad ipsam Practicam veritatem, uti in quotidiana experientia sese sistit, quod nempe certissimè, hodiè usitatæ variæ, tam ita dictæ *alterationes*, quam *sopi-*

niones, summæ Affectuum Chronicorum, nempe fundamentum eorum, nihil detrahant; sed solum emergentes insultus & *exacerbationes*, (siquidem bonum successum sortiuntur ipsa talia medicamenta,) velut interpellent, aut mitigent: ita, cum *ventilationes* sanguinis, iusto tempore atque loco adornatæ, certius ipsum fundamentum concutiant atque subruant, facile patere potest, prudenti considerationi, quanto melior spes de his concipi possit, quam etiam in plenam fiduciam convertet, executio rei in ipsa Praxi, utpote veritatem in ipsis exemplis confirmans. Neque tamen etiam hinc subsistit hæc, huius *minoris* incommodi seu mali, electio, ut semper, imò vel solum ut plurimum, *consilii* seu electionis liberæ, sit negotium; sed sentiet reverà solers, & indolis patientium, atque morborum moris, cum solertia curiosus observator, quod frequentibus planè exemplis, potius *necessitatis* esse compareat administratio similis *ventilationis*. Et quidem reverà ita jam *maiore* illo mali respectu, ut, in tali casu, licet nihil amplius tam *directè* ad totam *summam* negotii, quasi *positivè*, prosit; tamen *privativè* hoc faciat: aut, ut rem totam luculentiore ad omnium hominum conceptum loquendi formula exprimamus, licet nullum ita eximium atque luculentum effectum, circa ipsum *morbum* universum, absolvat, tamen ferociorem ejus *energiam* & activitatem infringendo, non solum aliquod, sed sanè etiam tam insigne, operæ pretium faciat, ut sine ipsius huiusmodi opportuno interventu, reliqua auxilia universam suam efficaciam assequi aut exsequi nequaquam valeant.

XLIX.

Quid verò, si adhuc plus dicamus? minimè certè plus dixerimus, quam res ipsa, non magis fert, quàm revera infert. Est verò: si tales evacuationes, *in hoc casu* nihil *directè* juvant; *nocent* certè magis *directè*, quando negliguntur. Porro, in eadem materiâ, partim etiam eodem, partim longè diverso respectu: si nihil aliud hinc prodeffent, profunt tamen atque conferunt hoc maximè, nunquam certè pro exiguo reputandum, quod reliqua, in harum *subordinatione*, usum non con-

tem-

temnendum habitura remedia, neglecto hōc sui ordine, *irrita* reverà sint, aut ad minimum *evanida*: imò aliqua etiam illorum, (ut aliquando fortius resolventia atque discutientia,) omiſſa præcedaneâ *Ventilatione*, certissimis nocumentis propiora. Sunt autem hæc talia Casuum genera quando patientes evacuationibus aliquibus sanguinis jam *adsuefacti* sunt, easdem autem imposterum, vel per negligentiam omiserunt, vel malâ quadam fortunâ amiserunt. Quod quidem, licet etiam reverà, & apprimè quidem, valeat de *spontaneis* evacuationibus sanguinis, *Hæmorrhoidum* imprimis & *Mensium*; Valet tamen etiam, imò propemodum magis, de *arbitrariis*, *artificialibus*. Ita enim de *scarificationibus* notum est etiam populo, quod illarum *adsuefactarum*, tandem admissus neglectus, certissima incommoda post sese trahat: De *Narium* autem *Hæmorrhagiis*, planè emanentibus, & de *Venæ sectionibus* omiſſis, obvia quoque sunt peritorum quotidiana consona testimonia. Quæ omnia, patientibus certè mera experimenta, ea quæ diximus ostendunt & confirmant, duplici sensu; nempe primò, quod utique in talibus casibus etiam *omissio damnum* minetur, si vel maximè *usurpatio* atque adhibitio evidens *commodum* non præstaret: id quod de hujusmodi ventilationibus, imprimis *scarificatoriis*, etiam temerè per initia susceptis, interim vel præſente tamen jam tum, vel superveniente etiam tandem, Plethorâ, certissimè valet. Secundò, quando equidem admodum luculentum usum conferre, *sola & ex se*, non æquè sentitur: interim tamen reliquorum remediorum felici operationi verè viam sternit, imò pontem quasi præstruit, & portam verè aperit. Ubi nempe utique ad cæteros errores consuetos, ut cum illis transeat, rejicienda venit illa turbulentorum aliquorum argumentatorum imputatio quod hujusmodi evacuationibus, morbi, ad quales tamen ita laudamus, non valeant *curari*: nempe non recolentes animo, quod etiam *subordinatio*, & *socium* auxilium, in Medica Praxi, & imprimis artificiosa, nempe cum *rectâ ratione efficaci*, eximium habeat usum, imò longè sæpiſſimè veram atque solidam *necessitatem*.

Sicut autem maximoperè utique, imò potius absolutè *conditionem* hanc præsupponimus, ut huiusmodi *ventilationes*, ibi, ubi verum usum habere possunt, in illum actum deducantur; ita, ex adversò, minimè calculò nostrò comprobamus etiam *intempestiva, non necessaria*, & verè etiam minus fidæ spei, remedia, odiofo tali servitutis more adsuëfacienda, quamdiu ulla adhuc spes tolerabilioris emendationis effulget. Certè enim minus etiam est æstimandum, *unum*, quantumcunque etiam de reliquo, malum, quàm *duo* simul conjuncta. Censeo autem meritò hoc nomine *Fonticulos*, imprimis autem adhuc quantumcunque *junioribus*, imperatos. Quamvis enim aliquando veluti differre videantur Affectus, auferunt tamen certè nunquam: imò vix etiam unquam durabilem & constantem ferunt opem, quin crescente magis ætate, vel ipse pristinus Affectus iterum emicet: vel, si tantisper *superioribus* corporis regionibus aliquid solatii evenisse apparet, tamen post hæc circà *inferiores* regiones denuò emergant illa incommoda, quæ è communi quasi fonte scaturiunt, progressis verò ætatibus, solum *altiora* loca affectaverant atque adfecerant. Haud verò multò dispar ratio, occurrit, circà usum *Vesicatoriorum*, in morbis *malignis* ambigæ succedentibus, tentandorum. Quamlibet enim in rebus jam propriâ suâ indole maximè ambiguis, etiam vel ambiguum remedium tentare, non sit omni rationi contrarium: Interim, cum etiam ipsa ambiguitas hujusremedii, revera sit eximia; incommodum interim, non jam penitus in ultimo agone constitutis (ubi tantò certius totum etiam remedium esset irritum) sed adhuc per plures horas super viventibus, nequaquam exigua facessere soleat: nos quidem præstare putamus, ut tentaminibus talibus ægri non onerentur. Ceterum, nequaquam indigna sunt hodiequè legi, quæ jam propemodum ante sesquiseculum adversus horum usum in Febris acutis, & sub malo sui successu *malignis*, disputavit, jam pridem à nobis citatus *Gerhardus Columba Messanensis*, Tractat de *Febre Pestilenti*.

LI.

Magnam autem discretionem necessariam esse asserimus, circa usum *Vomitivorum*, imprimis *quantitate* aut *qualitate* immoderatiorem. Certè *vomere* aliquoties, propriâ suâ Naturâ, non est adeò ingens malum, ut propterea magnis querelis esse posset locus. Quando verò *aptitudo Individuorum*, *prædispositio* & *habilitas materiæ*, verum *ingenium Affectus*, *tempus* ipsum morbi, *vires*, imò ipsius *remedii* ambiguus & *heteroclitus* effectus, etiam ingentia incommoda, fatis facile prætereà, machinantur, cavendum esse à malo, puto rem ipsam fatis monere.

LII.

Interim, quando Medicus ad patientem vocatur, spontè jam vomentem, & quidem subinde cum anxiiis atque turbulentis admodum angustiis: imprimis autem, quando etiam *Diarrhœa*, cum, aut sine *torminibus*, concurrit; aut sola etiam adhuc *nauseabunda* anxietas seu angustia sentitur; concursante tamen jam quadantenus *febrili volatica* alteratione, frigoris & caloris: Ibi multò certè convenientius est, ipsas prius illas circumstantias optimè pervestigare, & omninò perspectas habere, an fortè insignis aliqua *animi* alteratio, & nominatim quidem *iracundia*, aut excessus in *Dieta*, imprimis circa *mellita* aut *fructus horæos*, *oleracea*, *pingvia*, potus *fermentantes* atque *seculentos*, præcesserit: ne simpliciter pro *directo* morbido Affectu reputatum *Vomitum*, aut *Diarrhœam* talem, si quid aliud, intempestivo pro talibus casibus, usu *adstringentium*, *calidorum roborantium* & *narcoticorum*, medio, expugnare, in mentem veniat: sed potius causam ipsam *continentem* corrigere, quo nempe præstito, etiam spontè cesset tota illa impetuosa commotio.

LIII.

Minimè verò dispar ratio occurrit etiam in aliis *Alvi fluxibus*, citrà *vomitum*, spontè coortis. Sicut enim hi quoque nihil aliud utique sunt, quàm ipsius *Naturæ Motus* & *Actus*, & quidem alicundè provocatæ atque conceitatæ, ad *excretori-*

os huiusmodi, motus utique, seu *actus*, exercendos: Ita, nisi satis certus sit Medicus, quod ipsæ illæ talis concitationis *causæ* sublatae sint, minimè fas ipsi fuerit, non sublati*s causis*, bonos certæ naturæ, *conatus* ad illas *excutiendas*, & in modo fortè solum excedentes, temerè suppressere atque cohibere. Cuius rei specimina puto adhuc in recenti memoria fore, è præteritæ ætatis *Dysenteriis*; in quibus quid præstiterint *adstringentia*, & contrà fictitiâ *malignitatem* obtrusa hinc inde largiora *Alexipharmaca calida*, cum *panacea* illa Empiricorum *Opio*, facilè fuerit experiri è Pharmacapoliis illorum locorum, ubi hæc Lues insignes edidit strages: Dum alibi, sub diversa tractandi ratione, licet etiam de reliquo bonis medicamentis, interim antè dictos *scopos* omninò rectè servantibus, adstite tamen omninò divinâ gratiâ, etiam è magno numero similiter correptorum, nemo defecerit: nisi quod etiam ibi de, *contrariâ* Methodo tractatis, paucioribus, aliquot utique rectè & ordine interierint, reliqui autem plerique graviter periclitati sint. Unde certè iterum iterumque notari ita mereatur, vera illa ratio *Minoris Mali*, respectu ad *maius*, si istud perperam æstimetur, & impatientienter toleretur.

LIV.

Quia verò prolixius in species excurrere non fert nostra intentio, aut finit temporis spatium, dicemus propterea solum adhuc de generaliore consideratione, circa *utilitatem* aut *necessitatem* Medicamentorum. Equidem de *supervacu*o eorum usu non præscribendo, jam supra locuti sumus. Interim de *necessitate* etiam, usum eorum exigente, hoc habemus quod moneamus, quod utique, ubi hæc aliquid imperat, inanis sit excusatio adversus adsumptionem. Et habet certè ibi etiam communissimè satis commodum locum, & veri argumenti vim, remonstratio illa patientibus facta, quod, nisi hunc obtemperare velint, imò obsequi, circa adsumptionem remedii, quod sine prægnanti causa, ceu *malum* quiddam averfentur, fore, ut verius *malum* morbi, ita liberè vires sumens, impostorum etiam desiderata tandem ipsis futura remedia adspersetur

tur, adeoque tunc nihil amplius subsidii superfuturum sit. Interim quilibet solers Practicus, facile etiam recordabitur, quod hōc ipsō etiam in casu, plurimum sibi vindicet *bonitas* Medicamentorum, de qua ita confidentiùs etiam *bonum effectum* polliceri possit: cui conditioni, cum etiam communissimè exoptata talibus patientibus *paucitas*, societatem jungat, præbet etiam illa communiter argumentum sic affectis patientibus admodum consentaneum. Sicuti certè etiam ex adverso, quod vulgò ajunt, indiem solùm, variorum conaminum seu *tentaminum multitudinem*, patientes onerare, etiam quibusvis respectibus odiosum est.

LV.

Tandem, etiam adhuc aliquid addimus de illa circumspectione *Medico-methodica*, ut patientes hujusmodi benè instruantur, qui affectibus obnoxii sunt quomodocunque *periodicis*, seu per datas occasiones *recrudescere* solitis, ne medicamentis illum solum locum destinent, quando jam *plenum impetum* iterum suscepit, insultus; sed potius, quamdiu *minus* adhuc est etiam tale malum, *tempestivè* eidem occurrant, priusquàm vires iterum exferat indomitas, adeoque difficilius medicationi auscultantes. Imò potius syadenda sunt omnino in tali casu *præservativa* remedia; seu potius methodicæ tales, modò ut titulo huic suo quadrent atque satisfaciant. De quorum censu sunt certè primariò, quæcunque *naturales* æquè *excretiones* sublevant; tantò magis autem *segnities* illarum subinde pullulantes, maturè dispellunt (quale quid in foeminino sexu est *alvi obstipatio*, plerosque *hysterico-cephalicos* illarum paroxysmos, magis præcurrens quàm simpliciter concomitans, adeoque etiam tempestivâ sui depulsione, imprimis etiam *placida* & cum epicrasi fiente, incommodiores illos successus nequaquam produciens,) quàm etiam *artificialium* æquè atque *spontanearum* sanguinis *ventilationum*, opportuna, aut matura, adhibitio. Cæterum ad hunc ipsum locum, uti certò *minus* malum, referri omnino merentur *Clysteres*; utpote quorum usu in *Celico-Hysterico* HYPOCHONDRIA-

CIS Affectibus, maximè verò, cum alvi *retentione* conjunctis, *plus* sæpè, & quidem tà n *certius*, quàm etiam *propius*, impetratur, quàm per alia quælibet *medicamenta*: aut certè ad minimum plus, in *socio* utrorumque concursu. Unde quoquò certè modò in illud incumbere deberent *Societates practico-rum*, ut non solum absurda illæ opinio, de *Clysterum* usu malè sentiendi, utriusque sexûs hominibus eximeretur, adeoque hujus remedii usus magis familiariter *introducetur*: sed etiam, ut pro *fæminino* sexu, idoneæ personæ præstò essent, quæ applicationem dextrè administrare possent.

LVI.

Quid autem, ultimò, dicamus de CHIRURGICIS *minoribus* malis? Dicemus certè primâ fronte *paradoxon* quoddam, nempe, quod ferè gravissima illorum, tamen multò *minora* sint, in rei veritate, quàm vel Affectus, quibus destinantur: vel eventus aliorum *languidiorum* tentaminum, quæ his aliquando subordinantur. Enimverò *vividius* tangere *ulcus*, pertentare *vulnus*, *dilatare*, imò *incidere*, *secare*, ferro ignitò *adurere*, sensibilia sunt, & hinc ferè formidabilia, cœpta. Interim *inquinari*, *serpere*, *inveterascere* *ulcus*, *sordidum* in profundo, manere aut fieri, *vulnus*, non *educi* quod intus abhæsit, mala *concrementa* non auferri & *exstirpari*, corruptas jam portiones non *resecari*, ne *partem sinceram* trahunt &c. omnia hæc, non solum sunt *deteriora*, quàm operatio talis *chirurgica*; sed, quod præcipuum est, illa imprimis, quæ *pejores* habitas *Chirurgias* postulant, sunt tà m *præcipitis* insuper malitiæ, ut, nisi *maturè* admodum, *præsentior* hujusmodi operatio decenter in usum trahatur, non æquè diu post, ne quidem amplius *locus* vel illi pateat, vel ulli alii. Ceterum revera etiam de *Ustione* illud brevitur notamus, quod eadem multis *locis* atque *modis*, longè meliores effectus post se ductura esset, (dummodò sub dextra tractatione,) quàm hodie famosæ *καύσεις* *potentiales*, nisi communiter obstitaret metus patientium, ceu *immanis mali*: quem plurimum foveri

à tàm rarissimo hujus subsidii *exercitio* seu usu, neminem puto facile in dubium vocaturum esse.

LVII.

Obſignamus autem tandem univerſam noſtram tractationem, repetito illo monito atque cautelâ, ut quidem nullum *malum*, quod corpori præter ordinarium Naturæ curſum obtingit, ut *in ſe & abſolutè parvipendi*, imò *negligi*, probeamus ne dum jubeamus aut ſuadeamus; interim autem nimio minus etiam illud comprobare, nedum cominendare, valeamus, ut *minores* etiam in comparatione, affectus, mox ea ratione pro *magnis* reputentur atque tractentur, u iis propterea non ſolùm directè *obſiſtere* neceſſarium ducatur: ſed vel planè per ejusmodi media atque methodos, quibus demum è *minore* malo *majus* fieri ſatque reddi poſſit. Cavendo inſuper præcipue, ne etiam *ſubſidiaria* quædam *ſpontanea* conamina, abſolutè ſano corporis ſtatui utique non ordinaria, ſed pro reliqua præſente, melius demum perveſtiganda, moleſta, aut plus minus periculofa cauſa, potius pro *utili operatione* Naturæ agnoſcenda, mox in hanc tribum conjiciantur, adeoque potius illis ipsis obſiſtatur, quàm ut, ſive *cauſæ* illorum quoad ejus fieri poteſt, expugnentur: ſive ſimul ipſa hæc potius *ſubſidia*, arte unâ conſpirante, *ſubleventur*, *facilitentur*, *promoventur*, adeoque, breviter, pro *bonis* potius, quàm *malis* quibuſcunque agnoſcantur. Tantò magis autem in talibus, etiam jam aliquantò verius *morbidis* malis, quæ tamen *pertinacicie* peculiaris nomine infamiâ eſſe merentur, tanquàm *ſimplioribus* atque levioribus malis, *directis* quibuſcunque conatibus reſiſtendum eſſe cenſeamus: quò nempè nihil familiarius fit, quàm ut *minora* in *maiora*, per intempeſtivas *turbationes* potius, quàm curationes, deducantur, imò convertantur. Poſſemus fortè adhuc aliqua dicere de *minoribus*, imò in hac comparatione etiam *maioribus* malis PHARMACEVTICIS, ſeu è *Materia Medica* eligendis, cum autem tempus nos deſtituit, complectemur negotium totum parvo ambitu. Valet nempè hîc certiffimè iterum illud, quod eſt in

usitato proverbio, *notiora mala esse tolerabiliora*. Ubi, licet minimè inficiemur, quod ad *bonam Therapiam* revera etiam necessaria sit *bona pharmacia*, nempè, non solum bonus *usus* medicamenti, sed ipsum etiam *bonum* medicamentum pro bono usu, sit necessarium: tamen nihil quidem hic obstat, quo minus etiam de *notis* æquè atque *paucis* hoc ipsum possit dici, quod & bona esse possint, & sufficere. Unde quidem brevissimis longa dicimus, quando, primò quidem, commendamus illud, sive *Capivaccii*, sive antiquioris cujuscunque certè in hoc genere boni Viri: *Disce veram Methodum & habebis vera arcana*. Pro medicamentis autem, multum dilaudari solitis, primò dijudicandis, observationem verè, & luculenter quidem, respondentis felici successus: Pro *selectu* vero, ut, quamprimum modo dictus character in salvo fuerit, omninò Philosophicum illud observetur: *Entia non esse multiplicanda præter necessitatem; & quod fieri potest per pauca, non debere fieri per plura*. De ingentibus autem pollicitationibus, & magnificis medicamentorum titulis, experientia ita dictante, illud teneat: *Magna nomina, magna mala*: Donec probetur contrarium.

Ita quidem, præsertim cum jam præter intentionem excreverit nostra Tractatio, placet potius pedem hîc figere; quod quidem dum facimus, Divinæ gratiæ pro præstito benignissimè auxilio, gratias humillimas nuncupamus.

S. D. G.

